Großherzogliches Marien-Gymnasium zu Jever.

Wissenschaftliche Beigabe

zu dem

Osterprogramm

von dem

Gymnasiallehrer Riemann:

Observationum in dialectum Xenophonteam specimen primum.

Jever, 1883.
Druck von C. L. Mettcker & Söhne.

1883. Progr. Nr. 601.

Observationum in dialectum Xenophonteam specimen primum

scripsit

F. Riemann.

Commentationem, quo iure in scriptis Xenophontis recentior Attica dialectus reperiri dicatur, quam abhinc annos sex ad facultatem docendi impetrandam scripsi, typis usque ad hunc diem exscribendam non curavi. Libenter igitur occasione, quae nunc mihi oblata est, utor ad eam prodendam.

Cuius commentationis argumentum divisi in partes tres, quarum prima post artam institutionem apparatum verborum apud veteres Atticae dialecti scriptores mihi obvenientem cum Xenophonteo contuli, altera discrepantiam illorum atque Xenophontis, quae pertinet ad flexiones nominum atque verborum, recensui, tertia denique de constructione dictionum, quam Graeci *σύνταξιν* vocant, et de componendi ratione atque arte Xenephontea tractavi.

Sub exitum belli Peloponnesiaci demagogorum orationibus, postea principum illorum oratorum studio rhetorico-grammatico plane novum dicendi genus obtrusum est Atticis, longe illud remotum a prisca gravitate et abrupta austeritate antiquiorum, magis tamen aptum ad sanam simplicitatem et concinnam sinceritatem expolitioris linguae. Quam sanam et iucundam orationis simplicitatem omnes fere grammatici et qui de literis scripserunt, admirati sunt. Equidem non ignoro audacissimum ideoque difficillimum esse certis finibus et antiquiorem Atticam dialectum coërcere et ab iis initium capere recentioris dialecti. Quod si audebis, aptissime Euclidis praetura has duas dialectos secernes, quo anno novum alphabetum ab Atheniensibus adhiberi coeptum est. Xenophontem, de cuius dialecto hic explicaturus sum, aequalem Lysiae, Isocratis, post illum annum libros composuisse manifestum est. Iam eo probabile est ad recentiorem dialectum eum accessisse. Huc accedit, quod orationis Xenophonteae inaffectatam iucunditatem atque dulcem simplicitatem, quas antiquiori Atticae dialecto vix tribuas, omnes fere scriptores laudant.

Ac Cicero quidem de or. II 14 de eo dicit: Xenophon, Socraticus ille, scripsit Historiam leviore quodam sono usus et qui illum impetum orationis non habeat, vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen, ut mihi quidem videtur, dulcior. Idem alibi voce eius Musas quasi locutas esse prodit.

Dion. Halic. ad Cn. Pomp. hoc de eius elocutione iudicium fert: *ὁ δὲ λεκτικὸς τρόπος πῇ μὲν ὅμοιος Ἡροδότου πῇ δὲ ἐνδεέστερος· καθαρὸς μὲν γὰρ τοῖς ὀνόμασιν ἱκανῶς*

καὶ σαφὴς καθάπερ ἐκεῖνος. ἐκλέγει δὲ ὀνόματα συνήθη τε καὶ προσφυῆ τοῖς πράγμασι καὶ συντίθησιν αὐτὰ ἡδέως πάνυ καὶ κεχαρισμένως, οὐχ ἧττον Ἡροδότου.

Quint. J. O. X p. 223 edit. Bip. in hunc fere modum de eo loquitur: quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi, ut ipsae finxisse sermonem Gratiae videantur et in hunc transferri illud iustissime possit in labris eius sedisse quandam persuadendi deam. Etiam alibi simili modo de eius elocutione iudicat.

Diog. Laert. p. 19 habet: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀττικὴ μοῦσα γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας et Suidas s. v. Ξενοφῶν: αὐτὸς δὲ Ἀττικὴ μέλιττα ἐπωνομάζετο. Denique in Hermogene περὶ τῆς τοῦ Ξ. ἰδέας est: καθαρὸς δὲ καὶ εὐκρινής, εἴπερ τις ἕτερος, ὁ Ξενοφῶν.

Quin etiam cum pleraque nomina propria apud Graecos certam et manifestam significationem haberent, non defuere, qui existimarent non frustra et vano omine Xenophonti nomen inditum esse. Nomen enim Xenophontis significare eum, qui nova quadam et singulari dicendi facultate praeditus esset; componi a ξένον i. e. novum, singulare, et φάω, pro quo φημί Attici usurparent. Hoc vero nomen ei inditum esse ob singularem sermonis suavitatem et inaffectatam iucunditatem. Sed alii aliter de Xenophontis nomine senserunt.

Intellexeris tamen omnes veteres scriptores in laude elocutionis Xenophonteae consentire atque ita de eo iudicare, ut vix in dubitationem vocari possit, quin recentioribus scriptoribus Atticis adnumerandus sit, neque, quo usus est dicendi genere, cum asperitate et austeritate dialecti antiquioris comparandum.

Longe aliter de eo sentientes nostri aevi permulti viri docti crimini ei dederunt, quod lingua sit impromptus, durus, rudis.* Neque mirum hoc est. Sciendum enim persaepe libros Xenophontis nomine ornatos esse, qui abiudicandi ei sunt, veluti ex eis, qui etiam nunc extant, libellus ille de republica Atheniensium.** Cuius libelli auctoritas ad elocutionem Xenophonteam depingendam nihil potest valere; reliquos tamen, qui in editionibus recentioribus eduntur, libros ad disceptationem admisi. Tum notum est iam a veteribus Xenophontis libros ad usum scholarum adhibitos esse, quo factum est, ut iterum atque iterum lectitati atque descripti pessime depravarentur. Denique cum posterioribus temporibus studium priscae orationis revivisceret, scenicorum atque Thucydidis elocutionem imitantes librarioli antiquioris linguae proprietates in Xenophontem intulerunt eiusque orationem et linguae communis et Homericis formis male maculaverunt, ut nostra memoria librum Xenophonteum absurdissimis interpolationibus atque vitiis non inquinatum vix invenias. Itaque caute de Xenophontis elocutione iudicium ferre viros illos oportebat. Prava igitur et perversissima librorum Xenophonteorum traditione diu philologi plane ab eius studio deterrebantur. Quam ob rem aliter fieri non potuit, quam ut male de eius elocutione iudicarent viri docti neglecta laude veterum. Nuper Cobeti et L. Dindorfii opera studium Xenophontis exsuscitatum est. Quorum accurata atque efficaci diligentia multae interpolationes recisae, plurima vitia emendata sunt. Iam igitur videtur operae pretium esse accuratius exponere, quomodo consentiat elocutio Xenophontea cum recen-

* Bernhardy, Wissenschaftliche Syntax d. griech. Spr. Berlin 1829. p. 25.

** Moriz Schmidt, Memoire eines Oligarchen in Athen über die Staatsmaximen des Demos. Iena 1876.

tiore Attica dialecto, vel differat ab antiquiore. Observemus autem ordinem, quem supra indicavi.

Quaeritur igitur, utrum in libris Xenophonteis idem inveniatur apparatus verborum, quo usus est Thucydides cum veteris dialecti Atticae scriptoribus, an voces ibi extent, quarum usus proprius sit recentiorum Atticorum. Ac primum quidem, ut ordine progrediamur, num voces, quas antiquior Attica dialectus sibi selegerit, Xenophonti quoque usitatae sint, videamus.

Dion. Hal. disserens de elocutione Thucydidis, quem optimum exemplar veteris dialecti Atticae habet, crimini illi dat, quod *λέξις* eius sit *ἀπηρχαιωμένη γλωσσηματικὴ δυσεικαστὴ τοῖς πολλοῖς*. Nec sine iure de obliterata atque antiquata Thucydidis elocutione queritur. Fallitur autem, quod sibi persuasit Thucydidem de industria voces obliteratas indagasse, quae sua aetate iam non essent usitatae. Veri simillimum est illum non fuisse talium minutiarum indagatorem, sed cum dialectus Attica tum non ita esset perpolita, ut apte adhiberi posset ad literas, eum id egisse nos putare oportet, ut sibi dialectum conderet. Hinc illae voces obliteratae et poëticae et usitatae quidem, sed novis notionibus instructae, quarum nonnullae postea ex Atticorum sermone omnino evanuerunt. Sic *ἀκραιφνής* apud pedestris orationis scriptores Atticos non usitatum est, legitur tamen apud Thucydidem I 19 et I 52, 2. Assumpsit hanc voculam ex tragicorum sermone, extat enim ap. Soph. Oed. Col. 1147; ap. Eurip. Hec. 533; Alc. 1062. In eodem genere ponendum est *περιωπή*, quod nomen ap. Hom. Il. XIV 8; XXIII 451 idem significat ac *σκοπιά* i. e. specula »Warte«. Thucydides metaphoricam significationem tribuit nomini, ut haberet prudentiae et circumspiciendi notionem. In eodem genere ponere non dubito nomen *ἀνακωχή*, quod est ap. Thuc. I 40, 3; I 66; III 4, 4; IV 38, 1; IV 117, 2; V 25, 3; VIII 87, 4; tum verbum quod est *ἐπισπέρχειν* IV 12, 1; *ἐξοτρύνειν* I 84, 2; I 90, 1; *θάμβος* VI 31, 6, quod nomen poëtis usitatum etiam apud Platonem legimus in Phaedr. p 254 C, qui liber repletus est ornatu poëtico. Huc etiam pertinent *ἀμφιδήριτος* IV 134, 1; *κωλύμη* I 92; IV 27, 3; IV, 63, 1; *ἀχθηδών* II 37, 2; IV 40, 2 alia nomina. Quae quidem voces ex antiquioribus tantum Thucydidi usitatae sunt. Apud recentiores itemque apud Xenophontem non leguntur.

Huc referri oportet consuetudinem illam, qua Thucydides adiectivis atque participiis neutrius generis addito articulo substantivorum vim induit. Quae consuetudo etiam apud Antiphontem creberrima est neque recentiores scriptores talia participia et adiectiva plane ignorant, minus tamen frequentant quam Thucydides et Antiphon. Apud Xenophontem quidem rarius hic usus obvenit.

Denique notum est Thucydidem nomina deverbativa in $\overline{\iota\varsigma}$ et *τῆς* exeuntia saepe adhibere. A quorum nominum crebro usu longe recedunt posteriores, Plato, Isocrates, reliqui, recedit etiam Xenophon. Sunt quidem eius generis nomina, quae passim extent apud illos, sed longe maximam partem spernunt. Iuvat hic enumerare, quae nomina deverbativa in $\overline{\iota\varsigma}$ desinentia apud Thucydidem extant, apud Xenophontem non leguntur. Quae nomina ne reliquis quidem aetatis Xenophonteae scriptoribus frequentata sunt. Ac *ἀγώνισις* quidem apud Thucydidem est I 35, 4; *ἄθροισις* VI 26, 2; *ἀκρόασις* II 37, 3; *ἀλλοτρίωσις* I 35, 4; *ἀνάληψις* V 65, 2; *ἀνάστασις* I 126, 6; II 14, 1; *ἀναχώρησις* I 90, 2; *ἄνοιξις* IV 67, 3; *ἀντεξόρμησις* II 91, 3; *ἀντίληψις* I 120, 2; II 49, 5; *ἀντι-*

τέχνησις VII 70, 3; *ἀξίωσις* III 9, 2 et pro *ἀξίωμα* positum I 69, 2; II 65, 5; *ἀπαρίθμησις* V 20, 2; *ἀπόβασις* IV 8, 5; VI 75, 1; *ἀποκινδύνευσις* VII 67, 4; *ἀπόκλησις* IV 85, 2; *ἀποστέρησις* VII 70, 6; *ἄπωσις* VII 34, 5; *αὔχησις* VI 16, 5; *γύμνωσις* V 71, 2; *διαμέλλησις* V 99; *διάστασις* VI 18, 6; *διάφευξις* III 23, 5; *δικαίωσις* I 141, 1; III 82, 3; IV 86, 4; V 17, 1; VIII 66, 2; *δόκησις* II 35, 2; IV 55, 3; IV 87, 1; *ἐγχείρησις* VI 83, 3; *ἔκπεμψις* IV 85, 1; *ἕλκωσις* II 49, 4; *ἐνθύμησις* I 132, 6; *ἐπανάσεισις* V 17, 2; *ἐπαναχώρησις* III 89, 3; *ἐπαύρεσις* II 53, 1; *ἐπεξέτασις* V 89, 1; V 100; VI 38, 2; VI 42; *ἐπικράτησις* I 41, 2; *ἐπίλειψις* II 50, 1; *ἐπίπεμψις* II 39, 3; *ἐπιτείχισις* VI 93, 2; *ἐπιτήδευσις* I 32, 2; II 37, 2; *ἐπιτέχνησις* I 71, 2, quod nomen in Xenophonte legi ait Phavorinus, non tamen legitur; *ἐπιχείρησις* I 70, 4; III 82, 3; V 9, 1; VII 43, 1; *ἐσήγησις* V 30, 1; *ἐφόρμησις* II 89, 7; *θάρσησις* VII 49, 1; *θέσις* I 37, 2, inest etiam in libello de re publica Atheniensium III 2, cuius auctor Xenophon esse non potest; *κάθεξις* III 47, 3; *καταδούλωσις* III 10, 2; *κατάληψις* III 33, 3; *κατάμεμψις* II 41, 2; VII 75, 4; *κάταρσις* IV 26, 5; *κατοίκισις* VI 77, 1; *κτίσις* I 18, 2; *κύρωσις* VI 103, 3; *λῆψις* V 110; VIII 71, 2; *λώφησις* IV 81, 1; *μέλλησις* I 69, 3; IV 126, 4; V 116, 1; *μετάθεσις* V 29, 4; *νόμισις* V 105, 1; *ξύγκλησις* V 71, 1; *ξύγκρασις* VIII 97, 2; *ξύγχυσις* I 146; *ξύλωσις* II 14, 1; *ὀλόφυρσις* I 143, 5; II 51, 3; *παραίτησις* I 73, 2; *παράκλησις* IV 61, 3; *πέμψις* VII 17, 2; *περιτέχνησις* III 82, 3; *πλάνησις* VIII 42, 1; *προεκφόβησις* V 11, 3; *πρόοψις* II 89, 6; V 8, 2; *πρόσβασις* VI 96, 1; *πρόσθεσις* IV 135, 1; *πρόσοψις* II 89, 6; *προσποίησις* II 62, 2; VI 16, 5; *πρόσταξις* VIII 3, 2; *πρόσχωσις* II 77, 2; II 102, 3; *προτίμησις* III 82, 8; *πύστις* I 5, 2; III 82, 3; *ῥῆσις* V 85, 1; *τέκμαρσις* II 87, 1; *τέκνωσις* II 44, 2; *τήρησις* VII 86, 1.

Item magna pars nominum deverbativorum in *-της* apud Xenophontem atque reliquos suae aetatis scriptores non est in usu.

Sequitur, ut observemus, num voces ab usu antiquiorum recedentes, recentiorum autem scriptorum proprias Xenophon in libris adhibuerit. Eum qui universum apud Xenophontem verborum apparatum consideraverit, multa inesse vocabula in eius libris libere confiteri oportet, quae prorsus ab ingenio Attico abhorreant. Inde scilicet, qui eius dicendi genus spernebant, telum arripuerunt, quod in Xenophontem iacerent. Poëticis enim vocabulis haud quaquam abstinuit Xenophon, quin etiam Lobeck. ad Phryn. p. 89 sq. docuit poëtica vocabula ex nullo pedestris orationis scriptore plura adnotata esse, quam ex Xenophonte. Vide Hermog. art. orat. p. 506: *ἴδιον Ξενοφῶντος καὶ τὸ κατὰ πόσα διαστήματα χρῆσθαι ποιητικαῖς πως λέξεσι πολὺ τῶν ἄλλων τῇ φύσει διεστηκυίαις λέξεων.* Omitto in hac parte formas nominum atque verborum, quae ex antiquo sermone epico assumpsit,* utpote de quibus infra disputabo. Afferam quasdam voces, quas ex Homero petiit Xenophon. Homericae quidem voces sunt *ἀναίνεσθαι* Cyrop. II 1, 31; cfr. Hom. Od. III 265; *ἀμείβεσθαι* Anab. II 5, 15; *ἐξαλαπάζειν* Anab. VII 1, 29; cfr. Hom. Il. I 129; *ὁλοίτροχος* Anab. IV 2, 3; *νέεσθαι* Cyrop. IV 1, 11; *ἀπονοστεῖν* Anab. III 5, 16; *μολεῖν* Anab. VII 1, 33; *δουπεῖν* Anab. I 8, 18; *ἄκληρος* ibid. III 2 26 alia multa. Tam largus enim poëticorum vocabulorum usus passim per Xenophontem apparet, ut ex

* Vide Krueger. ad Anab. IV 4, 14.

Sauppii lexilogo facili negotio plus quam trecenta eiusmodi vocabula congerere possis.* Vel Homericas locutiones et dicendi formam atque numeros imitatur. Sic *τάφρος ὀρυκτή* Anab. I 7, 14 legitur, *πέτραι ἠλίβατοι* Anab. I 4, 4. Cum verbis Cyrop. I 4, 24 *μαινόμενον τῇ τόλμῃ* Stephanus comparat locum Od. IX 350; cfr. Il. V 185; VIII 355.**

Tum etiam dialecti Ionicae multa apud Xenophontem sunt exempla. Saepe fit, ut, quae ex poëtarum usu Xenophon recepit vocabula, Ionibus quoque sint usitata. Referam, quae vocabula et Ionica et poetica ex Anabasi in indice Latino coacervaverit Cuehner. *ἀγορά*, *αἰγιαλός*, *αἴθειν*, *ἄκληρος*, *ἀναχάζειν*, *ἀπαμείβεσθαι*, *ἀπερύκειν*, *ἀπονοστεῖν*, *βλάβος*, *διαμπερές*, *διδέναι*, *δορπηστός*, *δουπεῖν*, *ἐξαλαπάζειν*, *ἐρύκειν*, *ἠλίβατος*, *θαμινά*, *λάχος*, *μολεῖν*, *ὀλοίτροχος*, *πολίζειν*, *σίνεσθαι*, *τρεῖν*.*** Nec dubium esse mihi quidem videtur, ex Ionum sermone quin Xenophon nomina in *τηρ* exeuntia admiscuerit sermoni suo. Fallitur Heilandus p. 6, qui putat eas Atticas formas esse, fallitur Sturzius, qui a Laconibus eas formas petitas esse iudicat. Valde insuper his nominibus Xenophontem delectari multis exemplis docuit Piersonus ad Moerid. p. 116. Ex Cyrop. eiusmodi nomina affert Cobetus N. L. p. 388 *γνωστήρ* VI 2, 39; *ἐπιτακτήρ* II 3, 4; *ὀπτήρ* IV 5, 17; *φραστήρ* ibid. et iterum V 4, 40; *θεραπευτήρ* VII 5, 65; *ἀποδεκτήρ* et *δοτήρ* VIII 1, 9; praeterea Homericum *μνηστήρ* VIII 4, 15.

Superest, ut Dorica vocabula commemorem, quorum permulta apud Xenophontem inveniuntur. Longum est ea enumerare, inspicias, quae de iis Heilandus l. c. explicavit.

Quae longe aliena sunt a puritate dialecti Atticae. Sed non mirabimur epicam, Doricam, Ionicam dialectum tantum valuisse ad constituendam dictionem Xenophonteam, cum primum quidem meminerimus, illa aetate poësin ad fastigium pervenisse et apud omnes Graecos pervulgatam summo in honore fuisse. Huc accedit, quod in Dorica simul atque in Ionica lingua multa sunt usitata, quae Attici poëtis tantum concedunt. Tum vero, quod ad Ionicae atque Doricae dialecti vestigia attinet, jam Helladius, unde mira illa Xenophontis et intermixta Ionicis complusculis et Doricis proprietatibus dicendi ratio orta esset, explicare sibi proposuit. Vide eius verba ap. Phot. cod. 279 p. 533 Bekk.: *οὐδὲν θαυμαστὸν εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς* (*ὁ Ξενοφῶν*) *ἀνὴρ ἐν στρατείαις σχολάζων καὶ ξένων συνουσίαις*. Neque igitur mirabile est eum linguae Atticae puritatem in delectu verborum non satis servasse, qui primum procul ab urbe militatum abierat, tum urbe eiectus tam diu patria et civium sermonibus carebat, mirum potius est, quod patriam dialectum tam pio animo et ita servaverit, ut, qui de eo scripserunt, orationem simplicem et dilucidam, nativa suavitate et venustate commendatam, ad decentiam compositam, omnibus denique Attici sermonis leporibus et veneribus conditam praedicarent.†

Quae si excipimus, universum Xenophontis verborum apparatum ab Atticismo non abhorrere intellegemus. Iam autem vidimus eum fere semper ab eis, quae antiquioris Attici

---

* Sauppe Xen. vol. V p. 290 se ex Xenoph. 316 vocabula poëtarum, 99 Ionicae, 63 Doricae dialecti propria computasse dicit.

** Alia eiusmodi vide apud Heiland. Quaestionum de dialecto Xenoph. capp. sell.

*** Cf. Popponem ad Cyrop. XXXIX.

† Cicero de or. II 14, 58. Brut. XXX 132. Dion. Halic. VI p. 778 R.

sermonis peculiaria sunt, recedere, contra consentire in verbis deligendis quodammodo cum Platone, Isocrate, in primis cum Andocide.

Fortasse haud absurdum videtur esse verba quaedam a consuetudine antiquiorum plane recedentia, quae communia tamen sunt Xenophonti cum recentioribus, enumerare. Ex eo quidem genere largus est numerus compositorum veluti *ἀντιγνωμονεῖν* Cyrop. IV 3, 8; *ἀντικαλεῖν* Conv. I 15; *ἀντιπροσφέρειν* Conv. V 9; *ἀξιόκτητος* Cyrop. V 2, 10; *ἀξιοπρεπής* Conv. VIII 40 alia vocabula cum adiectivo *ἄξιος* coniuncta; *ἀποθαῤῥεῖν* Oec. XVI 6; *διακαθίζειν* Oec. VI 6; *διαχωρίζειν* Oec. VIII 11; *ἐκβοᾶν* Ven. VI 10; *ἐπανακεῖσθαι* Cyrop. III 3, 52; *εὔπρακτος* Anab. III 3, 20 alia eiusmodi. Tum huc pertinet *ἀσθενοῦν* Cyrop. I 5, 3; *ἀτρεμία* ibid. VI 3, 13; *βαρβαρίζειν* Hell. V 2, 35; *δευτεραῖος*, *ἑκταῖος* eiusmodi numeralia; *δύσπνοια* Ven. IX 20; *εὐμενίζειν* Cyrop. III 3, 22; *θεοσέβεια* Anab. II 6, 26 alia. Sed iam satis est.

His pertractatis jam licet transgredi ad orthographiae discrimen, quod intercedit inter veteres scriptores Atticos atque Xenophontem.

Atque ut a verbis *γίγνεσθαι* et *γιγνώσκειν* ordiamur, quae *γίνεσθαι* et *γινώσκειν* quoque scribuntur, in codicibus scriptorum inde ab Homero usque ad infimorum temporum libros inter utramque formam variatur. Tamen formas *γίνεσθαι* et *γινώσκειν* cum proprias Ionicae dialecti tum poëtarum fuisse epicorum iam eo apparet, quod longe praevalent in vetustissimis Homericorum carminum codicibus. Et testimonium haud obscurum affert Eustathius, qui p. 1064, 2 dicit: *τὸ δὲ γίνωσκε καὶ ἁπλῶς τὸ γινώσκειν οἱ μὲν ὕστερον Ἀττικοὶ μετὰ καὶ δευτέρου γάμμα γιγνώσκειν φασίν, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς δηλοῖ, καθὰ καὶ τὸ γίνεσθαι γίγνεσθαι. Ὅμηρος μέντοι ἀρχαϊκώτερον ἀγνοεῖ καὶ ἐν ἀμφοῖν τὸ δεύτερον γάμμα· ἔστι δὲ ὅμως ἀκριβέστερον τὸ τῶν ὕστερον, εἰ καὶ εὐφωνότερον τὸ τοῦ Ὁμήρου.* Atticas formas *γιγνώσκειν* et *γίγνεσθαι* grammatici perhibent; tamen Poppo l. c. Casselani et Augustani codicum nimio studio deceptus haud raro in libris optimis *γίνεσθαι* reperiri dicit. Sed fallitur. Reliquorum bonorum codicum tantum Laurentiani plut. 69 cod. 2 sex primae paginae a longe recentiore manu scriptae *γίνεσθαι* exhibent, uti I 13 ter; I 16: I 33, 2 alias. Reliqui omnes codices praestantissimi ad *γίγνεσθαι* propendent. Qua de causa suo iure Bekkerus ad Thuc. I 2, 2 videtur admonuisse, ut ubique per Thucydidem *γίγνεσθαι* et *γιγνώσκειν* restituatur. Quod vero alii eandem rationem etiam apud reliquos veteres Atticos observaverunt, recte mihi facere videor, quod grammaticorum et librorum mss. auctoritatem secutus Atticis veteribus ubique restituo *γίγνεσθαι* et *γιγνώσκειν*. Sed dubitem, num cum Stephani Thesauro recentioribus dialecti Atticae auctoribus alteram formam relinquam. Sane linguae communis est, quam amplectitur Aristoteles, et ubique, ni fallor, apud eum *γίνεσθαι* et *γινώσκειν* excutitur, ut Pol. II 1, 11: 13; 14 alioquin saepissime. Quod vero attinet ad Xenophontem, Sturzius L. X. s. v. dicit: »*γίγνεσθαι* et *γίνεσθαι*; nam in libris nostris editis utrumque legitur«. Ideo tantum editiones eum respicere apparet. Contra Krueger. in indice verborum Anabaseos editioni adiecto tribus tantum quatuorve locis *γίνεσθαι* nulla varietate in libris optimis mss. scriptum esse contendit. Cui si fidem habemus, cum etiam grammatici *γίγνεσθαι* et *γιγνώσκειν* Atticis tribuant, in Xenophontis libris ubique *γίγνεσθαι* restituendum esse censeo. Et profecto editores recentiores, inter quos est Krueger., Dindorf., Vollbrecht., Buechsenschuetz., Cuehner., ubique *γίνεσθαι* et *γινώσκειν* spreverunt.

Nunc ad aliud transire liceat. Tritum est *Πελοπόννησος* per duplex *ν* scribi. Omnes quidem et Thucydidis et tragicorum et Xenophontis editores has vocum formas in textum receperunt. Sed codicem Casselanum, quem falso praestantissimum putat, ubique fere talia per unum *ν* exhibere tradit Poppo in adnot. ad I 1 eandemque scribendi rationem in aliis libris observavit deterioribus. Quin etiam Laurentianus plut. 69 cod. 2, quem Bekkerus in comm. menstr. acad. Berol. 1855 p. 47 sqq. decimo saeculo adscripsit, quemque inter optimos habet, *Πελοπόννησος* per unum *ν* exhibet I 1, 1; I 2, 3; I 10, 2; I 12, 3 et 4; I 13, 5. Cum priora sex folia a recentiore manu scripta esse notaverit Schoene, fortasse putabis illas formas neglegentioris librarii esse; sed ne postea quidem aliter in hoc antiquissimo codice exhibentur. Cfr. Schoene ad I 23, 4; I 28, 2; I 31, 1; I 32, 5; I 36, 2; I 143, 5; II 1, 1 alias. At tamen Poppo cavit, ne dissertis verbis hanc, quae unum *ν* habet, formam Thucydidi vindicaret; iudicat scripturam per *ν* Thucydide seriorem esse. Quod mihi non probatur; nam Thucydidis reliqui codd. optimi scripturam, quae est per duplex *ν*, tuentur. Et Xenophontis quoque libri plerique omnes in duplici *ν* conspirant.

Praeposito *σύν* atque vocabula ex hac praepositione composita in lingua communi a a litera *σ* incipiunt, in antiquiore vero Attica dialecto a *ξ* ea incipere tum grammatici docent, tum veterum Atticorum scriptorum usus probat praecipue obveniens nobis apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem et ex solutae orationis scriptoribus apud Thucydidem. Sic ap. Soph. Phil. 1335 *ξὺν τοῖσδε τόξοις ξύν τ' ἐμοὶ πέρσας φανῇς*, et paulo infra *ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται*; Eur. Rhes. 763 *ξύνθημα λέξας*; Thuc. I 3, 1 *ξύμπασα*; I 8, 1 *ξυντεθαμένῃ*; I 26, 3; I 58, 1; II 1, 1; II 67, 4; II 103; I 86 *ξὺν τοῖς θεοῖς ἐπίωμεν ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας*.

Photius itemque Suidas de veteribus Atticis tradiderunt: *ξὺν Θουκυδίδης ἀντὶ τοῦ σύν, καὶ τὰ ἄλλα τὰ ὅμοια· οὕτω καὶ οἱ παλαιοὶ πάντες*. Et est in Marcellini vitae Thucydidis paragrapho 52: *ὡς ἐπὶ πλεῖστον δὲ χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ ἀτθίδι, ᾗ τὸ ξ ἀντὶ τοῦ σ παρείληφεν, ὅταν ξυνέγραψε καὶ ξυμμαχία λέγῃ*. Idem iudicium Lucianus quoque fert. At tamen in illis, quos modo dixi, scriptoribus magna in scriptura huius vocis cernitur codicum inconstantia; nam vel optimi codd. Thucydidis et Aristophanis, ut Sophoclem et Euripidem omittam, *σύν* pro *ξύν* usurpant, ita ut non multum in libris mss. sit praesidii. Nec inscriptiones inter utramque formam non variant. Legitur in inscriptione ap. Boeckh. I p. 220 n. 147, 3 *ΚΑΙ ΧΣΥΝΑΡΧΟΝΤΕΣ*, in sequentibus autem semper *ΚΑΙ ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΕΣ*. Est haec inscriptio ex Ol. 92, 3. Vel in altera, quae etiam antiquior videtur esse, constanter *σύν* scribitur, ib p. 116 n. 76. Sed nullius fere momenti hae duae inscriptiones videntur esse. Nam iam Boeckh. p. 214 A med. nos edocuit et me ipsum magister maxime venerandus Rudolfus Schoell docebat has duas inscriptiones apographa esse veterum inscriptionum, scripta post Euclidem archontem. Et si accuratius inscriptiones inspexerimus, exceptis illis duobus apographis nusquam ante Euclidis archontis annum formas per *σ* in lapidibus reperiemus, quo anno novum alphabetum constitutum est. Postea vero semper in saxo inciditur *σύν*, praeterquam in sollemnibus quibusdam locutionibus, quas religiose servaverunt veteres, verbi gratia in locutione *γνώμην ξυμβάλλεσθαι ἐς τὸν δῆμον*. Quae si ita se habent, apparet scriptorum, qui antiquiore Attica dialecto utebantur, veluti Thucydides et Aristophanes, propriam fuisse scripturam per *ξ*, quae forma apud eos sola

probanda videtur esse. Ubi vero vel bonae notae codices *σύν* et *συν* — tradunt, uti ap. Thuc. I 1, 1. Laurentianus C. *συνέγραψε* et *συνιστάμενον* exhibet, et I 1, 2 *συμβαίνει*, huius scripturae usus incuriae librariorum imputandus est. Nam huius scripturae, eius scilicet, quae *σύν* habet, tam rara exempla extant, ut, etiamsi lapides nos eam rem non edocerent, dubitare non oporteat editores *ξύν* per Thucydidem restituere. Nec apud Sophoclem et Euripidem hanc scripturam reiiciendam esse censeo, ubi per metrum et numeros licet. Reponi hanc formam iam Porson. ad Eur. Hec. 112 illis condicionibus iussit, qui *σύν* praeterea servare vult euphoniae gratia, velut Soph. Phil. 122 *ἐπείπερ εἰσάπαξ συνῄνεσα*, quo loco, ut mihi quidem videtur, *ξυνῄνεσα* reponi sine ullo poëtae damno potest. Elmsleio autem ad Aesch. Prom. 39 *σύν* post brevem vocalem ubique praeferendum esse nec nisi versus initio aut metri causa *ξύν* ponendum videbatur. Longe plurimis denique locis *ξύν* servatum est apud Aristophanem, sed ne apud eum quidem desunt in codd. aliqua scripturae alterius exempla, uti Nub. 49 *ταύτην ὅτ᾽ ἐγάμουν συγκατεκλινόμην ἐγώ*. Sed hanc quoque codicum inconstantiam librariis tribuendam et *ξύν* nusquam non reponendum esse existimo. Edoceri enim nos ex hoc Comici usu mihi videor scripturam per ξ propriam fuisse linguae vulgaris, quae postea quoque *ξύν* servavit et amplexa est, *σύν* vero urbanitatis colorem addidisse et fuisse politioris linguae scriptorum, qui post Euclidis praeturam conscripserunt. Confirmatur haec mea sententia oratorum libris; nam bis tantum *ξύν* legi apud Isocratem tradit H. Stephani Thesaurus, qui loci ut emendarentur, iam Baiterus suasit. Isocrates hanc praepositionem adamasse non videtur. Cfr. *πρὸς Δημόνικον* ed. O. Schneider § 16. — De Platonis scriptura conferas Martin Schanz. nov. comm. Platon. p. 157 et Schneider. Plat. Civ. p. 69 B. Alexandri temporibus haec scriptura per ξ plane exolevisse nec adhibita videtur esse, nisi a scriptoribus antiquitatis speciem affectantibus. At tamen crebro apparet apud scriptores Thucydidi proximos, Xenophontem alios, apud quos scriptores dubium fortasse potest esse, utrum *σύν* ubique restituendum sit, necne. Xenophontis enim erat in chartam coniicere neque multo limae labore opera perpolire. Quo fit, ut non ubique constans sibi videatur eius elocutio. In primis in Hellenicis et in Memorabilibus *ξύν* ab optimis codd. suppeditatur, sed tamen etiam hi formae *σύν* favent. Nusquam jam Schneiderus hanc formam exhibet in Anabaseos editione secunda, ter in Cyrop. VII 5, 6 *ξυνείρειν*; IV 6, 5 *ξυμφορά*; VIII 4, 27 *ξυμπροπέμπειν*; semel in Laced. rep. II 1 *ξυνίεναι*. Perpauci igitur apud eum huius scripturae sunt loci, ubi optimi codd. in ξ conspirant, ita ut iam propter hanc locorum paucitatem vix dubitare possimus, quin Xenophon ad formam aequalibus communem semper scripserit *σύν*. Persuasum enim habeo ex iis, quae supra monui, apparere non *ξύν*, sed *σύν* iam eius aetatis fuisse, qua Xenophon libros suos conscriberet. Qua de causa recentiores editores ubique *σύν* pro *ξύν* suo iure Xenophonti restituisse mihi videntur, uti F. Vollbrecht. in Anabasi, L. Dindorf. B. Buechsenschuetz. in Hellenicis. Tribuo igitur *ξύν* antiquiori, *σύν* recentiori Atticae dialecto.*

Nunc transgrediamur ad nomen *φαῦλος*, quod *φλαῦρος* quoque scribitur. Illud vero, quod grammatici statuunt, discrimen: *φλαῦρον τὸ μικρὸν κακὸν*, *φαῦλον τὸ μέγα*, aut vanum videtur esse, aut tam subtile, ut parum nos adiuvet. *Φαῦλος* semper Thucydides

---

* Tycho Mommsen, De *ξύν* et *μετά* praepp.

usurpat et cum eo fortasse veteres Attici amplexi sunt, uti Thuc. III 37, 3; IV 9, 1; VI 18, 7; VI 21, 1; VI 31, 2; VII 77, 2. Recte hoc monet Poppo l. c. At tamen monendum est Thucydidem adverbio *φαύλως* abstinuisse et *φλαύρως* uti, quod omnes praestantissimi codd. I 126, 5 exhibent Raro etiam femininum in *φαῦλος* exit, ut est ap. Eur. Hipp. 435 *νῦν δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα* alias. Extat hoc femininum semel ap. Thuc. VI 21, 1. Manifestum est igitur falli Thom. Mag., cui magis probatur, ut etiam nominibus generis feminini addatur terminatio masculini. Dicit enim »*φαῦλος ἐπὶ θηλυκοῦ κάλλιον ἢ φαύλη*«. Apud Xenophontem *φαῦλος* habes Anab. VI 6, 11; Cyrop. IV 1, 10: VI 2, 20; Hell. V 3, 8; VI, 2, 22; Mem. I 6, 2; III 11, 13; IV 1, 3; II 3, 17; II 6, 15; Symp. IV 40; IV 48; Hier. I 27. Unus tantum locus extat, ubi *φλαῦρος* legitur Cyrop. VIII 2, 12. At ego non video, quid obstet, quominus hoc *φλαῦρος* emendemus in *φαῦλος* moniti copia locorum, qui in hac forma conspirant. Adverbio, quod est in Oec. XIII 4. Xenophon utitur *φαύλως*.

Sequitur, ut ea vocabula tractemus, in quibus literae $\overline{ρσ}$ conjunctae inveniuntur, quale est *θάρσος*. In Homeri codd. fere solum obtinet *θάρσος*, *θαρσῶ*, *θαρσύνω*, *θαρσαλέος*, quae formae propriae sunt dialecti Ionicae et Doricae. Apud tragicos et Thucydidem in codd. cum longe praevaleant illae formae *θάρσος θαρσύνω* etc., tum interdum etiam alterius scripturae, quae est per duplex ρ, exempla extant, ut Soph. Oed. Tyr. 1062 *θάῤῥει*; Oed. Col. 491 *θαῤῥῶν*. Sed scripturam per $\overline{ρσ}$ praebent Aesch. Coeph. 91 *τῶν δ' οὐ πάρεστι θάρσος*; Suppl. 732; Pers. 212; Sept. 270; Prometh. 536: Soph. El. 173 *θάρσει μοι, θάρσει, τέκνον*; ibid. 412; 916; Ant. 668; Oed. Col. 48; Eur. Rhes. 35 *τὰ δὲ θαρσύνεις*; Andr. 993; Alc. 319. Apud Thucydidem ab optimis libris mss. *θαρσεῖν* traditur I 36, 1; I 81, 1; II 13, 3; II 65, 6; II 79, 4; III 25, 3; III 82, 7; IV 11, 1; IV 25, 6; IV 34, 1; IV 74, 1; IV 86, 2; VII 37, 1; VII 49, 1; VII 81, 2. *θαρσύνειν*: II 59, 2; IV 115, 1; IV 126, 3; V 4, 5. *θαρσαλέος*: II 3, 3; II 11, 3: II 51, 4; III 93, 2. *θάρσος*: II 92, 1. *Τυρσηνία*: VI 88, 7; VI 103, 2. *Τυρσηνικὸς πόντος*: VII 58, 2; IV 24, 2. *Τυρσηνοί*: IV 109, 3; VII 53, 1; VII 5, 4; VII 57, 10. *ἐν τοῖς ἄρσεσι*: II 45, 2. Grammatici inter se dissentiunt. Usum, quem apud Thucydidem invenit, spectans Gregor. Cor. p. 153 tradit: *τῷ σ ἀντὶ τοῦ ρ χρῶνται (οἱ Ἀττικοὶ) τὸ θαῤῥαλέον θαρσαλέον λέγοντες καὶ τὸ ἄῤῥεν ἄρσεν καὶ τὸ Τυῤῥηνὸς Τυρσηνός*. Contrarium autem produnt Moeris Att. cum dicat: *Θάῤῥος Ἀττικῶς· θάρσος Ἑλληνικῶς*, et Thom. Mag. p. 434: *Θαῤῥῶ Ἀττικοί, οὐ θαρσῶ καὶ θάῤῥος οὐ θάρσος καὶ θαῤῥύνω οὐ θαρσύνω*. Et suo iure hoc produnt; spectare enim videntur seriores Atticos scriptores, inter quos sunt Plato et Xenophon. Apud Platonem nullus fere usus est formarum *θάρσος*, *θαρσῶ*, *θαρσύνω* etc. Cfr. Plat. leg. I p. 647 B *θάῤῥος πολεμίων*; ibid. I p. 649 C; ibid. II p. 671 C; Remp. V p. 450 E; Apol. Socr. p. 34 E; Prot. p. 350 A; ibid. p. 350 C; ibid. p. 351 A; ibid. p. 359 C; Euthyd. p. 275 B; Phaed. p. 95 C; Phaedr. p. 243 E; Menon. p. 88 B; Theaet. p. 189 D; Menex. p. 249 E.

Itemque Xenophon certe in Anabasi formas per $\overline{ρσ}$ spernit. Sic habes *θαῤῥεῖν* Anab. III 2, 20; V 8, 19; VI 1, 12; VI 2, 12; VII 4, 13; *θαῤῥύνειν* I 7, 2; *θάῤῥος* VI 3, 17; *θαῤῥαλέος* II 6, 14; III 2, 16; IV 6, 9. In Cyrop. libri mss. fere solum exhibent *θαῤῥεῖν*, *θάῤῥος*, *θαῤῥύνειν* I 5, 14; III 3, 39; V 4, 36; V 5, 42; VII 5, 22; VIII 8, 6. —

III 3, 59; IV 2, 15; V 2, 32. — V 3, 47; VI 3, 27. — III 3, 19. Vel in reliquis libris formae per duplex ῤ longe praevalent. Cfr. Hell. II 4, 9; IV 6, 6; VII 3. 6. — VI 5, 32. — Mem. II 6, 28; II 6, 32 et 33; IV 3, 17. — III 5, 5. Oec. II 1. Ages. XI 2. Sunt quidem nonnulli codices, qui utramque scripturam promiscue admittant, sed nos, cum propter copiam locorum, qui in duplici ῤ consentiunt, tum propter grammaticorum testimonia facile elevantia ancipitem codicum fidem, scripturam per ρσ apud Xenophontem omnino relinquere decet.

Iam hinc transeamus ad formas *μικρός* et *σμικρός*, quarum apud scriptores promiscuus est usus, tragicis comicisque magis propendentibus ad formam *σμικρός*. Vel verisimile est illos nisi metro cogente aut euphoniae causa formam *σμικρός* ubique praetulisse. Aesch. Prom. 976 *σμικρός*; Soph. Aj. 1120 *ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὸν φρονεῖν*. Oed. Col. 958; Aristoph. Vesp. 803 *δικαστηρίδιον σμικρὸν πάνυ*. Cum igitur apud eos praevaleat forma *σμικρός*, in codd. prosae orationis scriptorum in primis apud Thucydidem *μικρός* est; cfr. I 10, 1: IV 14, 3; IV 30, 1. Tribus tantum locis IV 13, 3: VII 75, 4; VIII 81, 2 optimi codd. omnes *σμικρός* tradunt post *οὐ* per *λιτότητα* dictum. Hac fortasse causa commotus Thucydides pleniore nomine *σμικρός* utitur. Quin etiam dubito, utrum ubique per Thucydidem *σμικρός* restituendum sit necne. Nam etiam in libello illo de Atheniensium republica, qui falso Xenophontis nomine fertur, nam scriptus videtur esse anno a. Chr. 4$\frac{3}{2}\frac{0}{9}$, II 7, 6 *σμικροτέρων* est. Quod ad posteriores Atticos attinet, notandum est apud Platonem in libris fere solam obtinere formam *σμικρός*, uti Resp. III p. 402 C *μήτε ἐν σμικροῖς μήτε ἐν μεγάλοις*; Phil. p. 25 C; Crat. p. 410 A; Leg. III p. 699 D; Tim. p. 62 A alioquin saepissime. Xenophonti vero usitatam fuisse formam *μικρός*, quae oratoribus quoque probatur, ex hac fortasse congerie apparebit. *Μικρός* legitur Anab. I 3, 2; II 1, 8; III 2, 10; III 1, 11; IV 7, 7; V 4, 22; VII 3, 22; Cyrop. I 2, 15; I 4, 8; II 2, 3; V 2, 12; V 4, 26; VII 5, 44; VIII 4, 20; Hell. III 5, 24; IV 6, 11; VII 2, 22; VII 5, 5; Mem. II 3, 5; III 9, 7; III 12, 1; III 14, 1; IV 1, 1; IV 2, 35; IV 3, 9; IV 3, 15; IV 8, 11; De ven. V 23; V 32; Eq. VII 15; VIII 7 alias saepissime. Semel tantum perscrutanti Xenophontis libros *σμικρός* mihi occurrit, ubi ab optimis libris mss. defendatur idque Cuehnerus servavit Mem. III 11, 12 *οἷα ποιοῦσιν αὐτοῖς σμικρότατα μελήσει*. Quod unicum exemplum nobis non obstat, quominus Xenophonti ubique *μικρός* restituamus.

Restat, ut literas σσ tractemus, quae ubique pro ττ a Thucydide ponuntur. Vix usquam in melioribus codicibus vox per ττ scripta extat. Sic scribitur *ἀνθησσᾶσθαι* IV 19, 3; *γλῶσσα* III 112, 3 et derivata ab eo nomine *δίγλωσσος* IV 109, 2; *τῷ διαλλάσσοντι* III 10, 1; *ἐκπλήσσειν* II 38, 1 alias; *ἐσσάμενος* III 58, 4; *ἥσσων* I 8, 1 et verba derivata ab eo nomine *ἡσσᾶσθαι* IV 64, 1; V 111, 3; VI 69, 4; VIII 66, 3; *θάλασσα* cum nominibus derivatis innumeris fere locis, ut I 4; I 7, 2; I 13, 1; II 86, 2; VII 12, 2; *καταλλάσσεσθαι* VI 89, 2; *κηρύσσειν* I 27, 3 alioquin; *κυπαρίσσινος* II 34, 2; *πράσσειν* cum compositis I 56, 1; I 65, 2; I 99, 1; III 4, 4; VIII 5, 4 alias creberrime; *τάσσειν* cum compositis saepissime; *ὀρύσσειν* et composita VI 101, 1 al. *φυλάσσειν* et composita II 16, 3; et semper *Θεσσαλία*, *Θεσσαλοί*, *Θεσσαλός*. Communis hic usus est Thucydidi atque veteribus Atticis scriptoribus.

Recentiores Attici, in quibus est Xenophon, mutabant σσ in ττ. Cfr. Lucian. iud.

voc. c. 6—8. Eustath. Il. p. 813. Quamquam in exhibendis his literis non satis sibi constant libri Xenophontei mss., tamen haud ambigue propendent meliores ad scripturam per ττ, ita ut eas fere solas exhibeant. Idcirco vix dubium potest esse, quin editores ubique ττ exhibere debeant.

His explicatis nunc progrediamur ad vocales. In exhibendis formis *ἀεί* et *αἰεί* librorum mss. fere omnium summa est inconstantia. *Αἰεί* Ionicam formam esse grammatici tradunt. Veteres autem Attici in primis Thucydides, utrum in hac re eorum consuetudinem secuti sint, ut nos Marcellinus docuit: *ὡς ἐπὶ πλεῖστον δὲ χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ Ἀτθίδι — ὅταν τὴν δίφθογγον τὴν αι ἀντὶ τοῦ α γράφῃ αἰεὶ λέγων*, necne, vix in dubitationem vocari potest. Satis enim notum est e disertis hac de re grammaticorum vetustissimorum testimoniis Atticos abhorruisse ab iota intervocali, ita ut *ἀεί* pro *αἰεί*, *κάειν* pro *καίειν* scribere praeferrent, vel saepissime *ἐπόησαν* pro *ἐποίησαν*. Huc accedit, quod eam formam meliores Thucydidis libri mss. vulgo tuentur. Apud Xenophontem longe praevalet in libris *ἀεί*; sed tantum abest, ut libri mss. spreverint Ionicam formam, ut, quo meliores codd. sunt, eo crebrius eam suppeditent. Tamen in Anabasi praeter II 3, 13 vix unus locus extat, quo meliores libri omnes *αἰεί* habeant. Qua de causa non video, quid obstet, quominus Xenophonti Atticam formam *ἀεί* ubique restituamus.

Iam licet transgredi ad verbi *θέλω* et *ἐθέλω* usum, quae formae apud optimos scriptores promiscue adhibentur a librariis; formam trisyllabam autem antiquiores magis videntur praetulisse. Sic apud Homerum veteresque epicos *ἐθέλω* fere solum obtinet, formaeque *θέλω* exempla dudum ex editionibus recentioribus sublata sunt. Inter Atticos apud Thucydidem quidem praevalet in libris usus formae *ἐθέλω*, ut I 28, 2; I 65, 1: II 64, 1; II 89, 8; III 38, 4; IV 13, 3; IV 10, 15; IV 22, 2; V 82, 3; V 84, 3, praeterquam multis locis scribitur. Rarissime pro *ἐθέλειν θέλειν* in libris extat. Omnes vero codd. in scriptura *θέλειν* videntur conspirare post longam vocalem η in *μή* II 51, 3; V 35, 2; V 72, 1 alibi. Sed ne in hoc quidem usu sibi constant, nam I 27, 1 etiam post *μή* in omnibus bonis codd. legitur *ἐθέλειν*, contra VI 34, 4 *θέλειν* post *εἰ* et VII 18, 3 post *δίκας*; qui loci suspecti videntur esse.

Contra promiscue ambabus formis utuntur scenici atque oratores. Etiam Xenophon utramque formam videtur admisisse, sed notandum est apud eum longe praevalere in libris bonis formam *ἐθέλω*, uti ex hac serie ex Anabasi excussa apparebit: Anab. I 3, 8 *ὁ δ' ἰέναι μὲν οὐκ ἤθελε*. I 3, 10 *οὐκ ἐθέλω ἐλθεῖν*. I 9, 14 *οὓς ἑώρα ἐθέλοντας κινδυνεύειν*. I 9, 15 *τῶν ἐθελόντων*. II 6, 6 *ἡδονὴν ἤθελε δαπανᾶν*. II 6, 11 *ἐν τοῖς δεινοῖς ἤθελον αὐτοῦ ἀκούειν*. II 6, 15 *ἄρχεσθαι οὐ μάλα ἐθέλειν ἐλέγετο*. III 2, 16 *ὅτι θέλουσι μὴ δέχεσθαι ὑμᾶς*. III 2, 17 *τοὺς δὲ ἐθέλοντας*. III 2, 19 *ὅτου ἂν ἐθέλωμεν*. IV 1, 8 *εἴ πως ἐθελήσειαν*. IV 1, 26 *ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐθέλει γενέσθαι*. IV 4, 5 *ἠρώτων τί θέλει*. IV 6, 18 *οὐδὲ γὰρ νῦν ἐθέλουσι*. V 6, 20 *τὸν μὲν ἐθέλοντα — τὸν δὲ ἐθέλοντα*. V 7, 27 *ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ*. V 7, 28 *καὶ ἐθέλῃ λέγειν*. ibid. *ὃν ἂν ὑμῶν ἐθέλῃ*. VI 4, 36 *οὐκ ἐθέλει*. VII 3, 31 *ἂν οἱ θεοὶ θέλωσι*. VII 3, 43 *ἐὰν θεὸς θέλῃ*. Eadem harum formarum variatio in reliquis scriptis valet. Sic vel apud L. Dindorf., qui formas a *θέλειν* derivatas expulisse mihi videtur, Cyrop. IV 5, 29 reperies *οὐ τὸν θέλοντα, ἀλλὰ πάντας ἀποκαλεῖς* et sic alioquin; contra IV 1, 19 *τοὺς ἐθέλοντας*. IV 1, 21 *ὅντινα ἐθέλεις*. IV 1, 23 *λέγε τὸν ἐθέλοντα ἰέναι*. VI 4, 14 *μετ' ἐθελόντων*, sed Mem.

II 6, 4 *καὶ θέλων*. Quin etiam fit, ut uno eodemque loco bonae notae codd. alii formas a *θέλειν*, alii ab *ἐθέλειν* derivatas exhibeant, ita ut caveamus necesse sit, ne passim *ἐθέλειν* restituamus praecipue in formulis, quae sollemnes videntur esse, veluti Anab. VII 3, 31; VII 3, 43.

Nec minus a Thucydidis quam aliorum antiquioris Atticae dialecti scriptorum usu abhorrere videtur scriptura *εἰς* pro *ἐς*. Extat quidem in Thucydidis codd. quibusdam *εἰς* aliquoties, ubi per se positum est neque cum verbis aut nominibus coniunctum composita efficit, ut I 1, 1 *ἀκμάζοντές τε ἦσαν εἰς αὐτὸν ἀμφότεροι* (cod. Cassel.). II 43, 1 *τὴν εἰς τοὺς πολεμίους διάνοιαν* (Cassel. Aug.). III 4, 5 *καὶ εἰς τὴν Λακεδαίμονα* (Cassel.). VII 28 *ἦλθον εἰς Σικελίαν* (Cassel. Aug. Reg.). Sed optimorum codd. consensu ibi confirmatur *ἐς*. Iam ea de causa non est, cur Thucydidem praepositionem illam deleto iota semper ad eandem formam *ἐς* scripsisse negemus. Sed edocemur etiam inscriptionibus ante Euclidem archontem illam praepositionem semper *ἐς* incisam esse. Quod autem de saxorum inconstantia H. Stephani Thesaurus adnotat, nihili est. Habemus quidem in una eademque inscriptione Attica satis antiqua, neque tamen ante Euclidis annum ponenda ap. Boeckh. vol. I p. 126 et *ΕΣ* et *ΕΙΣΦΟΡΑ*. Sed pro certo habere possumus id errori sculptoris imputandum esse, qui incuriosius illud iota omisit, nam saepe monumenta in lapide incisa singulis literis egent. Reliquae fere omnes inscriptiones, ut quaeque anno Euclidis antecedit vel non antecedit, modo in *ἐς* modo in *εἰς* conspirant. Nimis vero argute Poppo l. c. excogitavit post vocabula in *ες* desinentia *εἰς* non plane spernendum itemque verba per *ἐπεις* — composita excipienda esse ob sonum parum suavem. Vel exaggerat exempla, ubi, cum vocalis brevis sequatur, *εἰς* retineatur in libris. Sed auctoritate Casselani et Augustani fisus est, quos, uti dixi, optimos esse libros arbitratur. Nostra autem memoria inter viros doctos constat optimos esse Cisalpinum et Vaticanum. Illis igitur locis, ubi cum Poppone etiam C. W. Krueger *εἰς* retinet III 53, 4 *ἐπεισενεγκάμενοι*. VIII 35, 3 *ἐπεισελθόντων*. VIII 92, 1 *ἐπεισαγωγή*. II 38 *ἐπεισέρχεται* optimus Cisalpimus reliquique bonae notae codd. *ες* servant. Ac primum quidem monendum est Graecos inprimis antiquioris aetatis scriptores cacophoniam anxie omnino non evitavisse. Reperitur enim ap. Thuc. IV 94, 4 *ἀπετετέλεστο*. VII, 37, 2 *ἐπεξέπλεον*. VIII 96, 2 *ἐπεγεγένητο*. Nec intellegi potest, cur haec scripserit Thucydides, alio autem loco *ἐπεσέπλεον* evitaverit. Qua de causa suadeo, ut per universum Thucydidem *ἐς* restituatur. Hanc enim formam antiquioris Atticae dialecti propriam fuisse etiam e certis quibusdam locutionibus apparet, quas ex priore tempore servasse Atticos posterioris aetatis Helladius prodit Phot. cod. 279 p. 525, 2 *οἱ Ἀττικοὶ κατά τι πάτριον ἔθος οὐ χρῶνται τῇ ει διφθόγγῳ ἐν τῷ λέγειν ἐς κόρακας ἢ ἐς μακαρίαν, ἀλλ' ἄνευ τοῦ διχρόνου ἐκφωνοῦσι τὴν πρόθεσιν· ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων ἁπάντων καὶ μετὰ τοῦ διχρόνου καὶ χωρὶς τοῦ διχρόνου τὴν πρόθεσιν λέγουσιν*. Comicos ante vocalem abstinere a forma *ἐς* et *εἰς* scribere Porsonus praef. ad Eurip. Hec. p. LIII animadvertit, cui addidit G. Dindorf. ad Aristoph. Ach. 242 ne tragicos quidem nisi metro cogente adhibere formam *ἐς*, ante consonantes utrosque forma *ἐς* uti.

Xenophontis libri plerique in scriptura *εἰς* consentiunt. Forma *ἐς* aliquantum saepius quam in reliquis libris in Hellenicis legitur praecipue in formulis atque ante numeralia *ἐς δύο, ἐς τρεῖς, ἐς ὀκτώ* III 1, 22 alibi; *ἐς ὁπόσους* IV 2, 13; tum *ἐσβαίνειν* I 6, 21 et

25; ἐσβιβάζειν I 6, 24; ἐστίϑεσϑαι I 6, 20; sed optimi codd. ibi quoque εἰς tenent. In Anabaseos libris mss. quibusdam bonae notae haec forma legitur I 1, 21 ἐσβάλλειν. II 6, 30 ἐς φιλίαν. III 4, 25 ἐς τὸ πρανὲς ἔβαλλον. IV 3, 29 ϑεῖν ἀεὶ ἐς τοὺς πολεμίους. V 3, 1 ἐς τὰ πλοῖα ἐνεβίβασαν. V 5, 7 ἐλϑόντες ἐς τὸ στρατόπεδον. VI 2, 26 ἐς τὸ στρατόπεδον ἀφικνοῦνται saepius, quibus locis alii codd. εἰς offerunt. In Cyrop. formae ἐς usus vix nobis occurrit in editionibus; optimi libri mss. εἰς fere ubique habent I 2, 4 εἰς τὰς χώρας πάρεισιν. II 3, 21 εἰς δύο ἄγειν τὸν λόχον. III 1, 42 εἰς τρίτην ἡμέραν παρεῖναι. IV 5, 56 εἰς τάξιν. V 4, 21 οὐκ εἰς μακράν. VI 2, 2 εἰς τοὺς πολεμίους ἐλϑεῖν. VII 1, 4 εἰς τρὶς ἀνέπαυσε τὸ στράτευμα. VIII 1, 33 εἰς κάλλος ζῆν, itemque εἰσαγγέλλειν VIII 3, 20; εἰσάλλεσϑαι VII 4, 4; εἰσαῦϑις VIII 3, 8; εἰσέρχεσϑαι V 3, 17; εἰσιέναι IV 2, 39; εἰσκομίζειν I 4, 9; εἰσφέρειν VI 2, 9. Neque reliqui libri Xenophontei plane dissentiunt ab hac scriptura per ει diphthongum, ut vix apud Xenophontem ferenda esse forma ἐς videatur.

Iam hinc transeamus ad praepositionem ἕνεκα, quae etiam εἵνεκα scribitur, et hoc quidem Ionicae dialecti et poëtarum heroicorum proprium videtur esse. Maximus Planudes enim εἵνεκα vel εἵνεκεν poëticum esse dicit. Tragici comicique eam formam non receperunt, sed ubi prima syllaba longa opus erat, formam οὕνεκα adhibuerunt, quam libri praestantissimi paene constanter conservant. Cfr. Aristoph. Pac. 221 ὧν οὕνεκ' οὐκ οἶδ' εἰ ποτ' Εἰρήνην ἔτι ὄψεσϑε. Eccl. 105. 559. 658. Nub. 361. 1508 alibi. Suo igitur iure rara scripturae exempla Brunckius ad Aristoph. Lys. 74 expelli iussit eumque secuti sunt, qui postea poëtas Atticos ediderunt. Nec Attici prosae orationis scriptores εἵνεκα videntur admisisse. Ea quidem Thucydidis optimorum codicum est ratio, ut fere ubique Atticam formam ἕνεκα exhibeant; bis ἕνεκεν, qua forma poëtae metri causa utuntur, I 68, 2 ἕνεκεν τῶν αὐτοῖς ἰδίᾳ διαφόρων in Laurentiano C legitur, quod tamen in ἕνεκα radendo correxit manus secunda; VI 2, 6 ἐμπορίας ἕνεκεν τῆς πρὸς τοὺς Σικελιούς, quo loco deteriores quidam codd. ἕνεκα praebent, quod semper Thucydidem adhibuisse Thom. Mag. dicit. Qua de causa his quoque locis Thucydidi ἕνεκα restituendum esse mihi videtur. Quod vero Xenophontis atque Platonis quidam libri aliquot locis εἵνεκα exhibent, ideo vix eam formam dialecto Atticae recentiori vindicabimus. Thom. Mag. p. 307 prodit: καὶ ἕνεκα καὶ εἵνεκα Πλάτων Δημοσϑένης καὶ οἱ ἄλλοι, Θουκυδίδης δὲ ἀεὶ ἕνεκα. Sed saepius libri mss. Xenophontei inter ἕνεκα et ἕνεκεν variant et haud raro quidem ante vocalem ἕνεκεν tradunt, ut ex his locis intelleges Anal. II 3, 20 τίνος ἕνεκεν ἐστρατεύσατε ἐπ' αὐτόν. ib. IV 1, 22 τούτου ἕνεκεν ὅπως. V 8, 13 ἕνεκεν ἀταξίας. V 4, 16 ἁρπαγῆς ἕνεκεν. Οἱ δὲ . . . Hell. VI 5, 43 ὧν τε ἕνεκεν ἐγένοντο ἄνδρες ἀγαϑοί. Sed saepissime etiam ante vocalem ἕνεκα scribitur, ita ut certi quidquam statui nequeat.

Pro verbo κλείω Iones atque antiquiores scriptores κλῄω dicunt. Photius 168, 13 haec prodidit: κλῇσαι οἱ ἀρχαῖοι λέγουσι οὐ κλεῖσαι· καὶ κλῇδα οὕτω καὶ οἱ τραγικοὶ καὶ Θουκυδίδης. Tamen apud tragicos, Aristophanem ceterosque Atticos veteres promiscuus est in codd. usus formarum κλείω et κλῄω, vel derivata ab hoc verbo plerumque promiscue et per ει diphthongum et per η exhibita reperiuntur. Sed recte videntur fecisse, qui Photii et vetustorum grammaticorum auctoritatem secuti ubique Atticis veteribus formam per ῃ et in verbo ipso et in derivatis restituerunt. Sic nunc ubique per scenicos legitur κλῄω, ut ap. Aesch. Suppl. 956 κεκλῃμένην. Pers. 723 κλῇσαι. ap. Soph. fr. 635 κέ-

κληται. ap. Eur. Herc. fur. 997 *κλῇε.* Phoen. 865 *κλῄσας.* Andr. 503 *κεκλῃμένα.* Rhes. 304 *ἔκλῃε.* Hel. 983 *κεκλῄμεθα.* ap. Aristoph. Ach. 479 *κλῇσαι.* Idem Xenophonti et Platoni tribuendum esse grammaticus quidam tradit in Epimerismis Homeri (Crameri Anecd. Oxon. vol. I p. 224, 23): *τοῦτο (κλείω) οἱ τραγικοὶ κλῄω λέγουσι, καὶ οἱ πεζολόγοι διὰ τοῦ η̄ καὶ Θουκυδίδης· ὅθεν καὶ κλῇθρον ὑπό τινων εἴρηται καὶ Ξενοφῶν καὶ Πλάτων καὶ οἱ κωμικοὶ διὰ τοῦ ἦτα.* Certe apud Platonem hoc verbum in codd. mss. libro optimo per η̄ plerumque scriptum legimus, nec desunt creberrima alterius scripturae vestigia; per η̄ est ap. Plat. Resp. VIII p. 560 C. *Κλῇθρον* illud, quod grammaticus citat, si quid Kruegeri auctoritati est tribuendum, qui in indice verborum Anabaseos editioni addito illi nomini signum crucis adiecit, quo signo vocabula notat, quibus Xenophon nonnisi in Anabasi usus est, semel extat ap. Xenophontem Anab. VII 1, 17 neque alioquin; optimi vero codd. ibi exhibent *κλεῖθρον*, quod receperunt recentiores editores. Ipsum verbum *κλείειν* et derivata ab eo investiganti mihi occurrunt Cyrop. VII 5, 25 *εἰ καὶ ἄκλειστοι αἱ πύλαι εἶεν.* ibid. *κεκλειμένας εὑρίσκουσι τὰς πύλας.* Hell. V 4, 7 *ἐξιόντες δὲ εἶπον τὴν θύραν κεκλεῖσθαι.* Vulgo non per η̄ sed per diphthongum ε̄ῑ in codd. extant formae. Qua de causa, ne grammaticum illum sequamur, caveamus; sed *κλῄειν* cum derivatis antiquiori Atticae dialecto tribuemus, *κλείειν* autem et *κλεῖθρον* ut Xenophonti tribuamus, libri monent.

Iam sciendum est, etiam quod ad accentum attinet, discrimen quoddam intercedere inter veteres scriptores Atticos atque Xenophontem cum reliquis posterioris aetatis scriptoribus Atticis.

Grammatici Atticis veteribus *ἑτοῖμος* vindicant, itemque *ἐρῆμος, ὁμοῖος, τροπαῖον.*** Herodian. *περὶ μονήρους λεξ.* p. 33, 10: *οὐδὲν εἰς μ̄ο̄ς̄ λῆγον ὑπὲρ δύο συλλαβὰς τῇ ο̄ῑ διφθόγγῳ παραληγόμενον προπερισπᾶται, ἀλλὰ μόνον τὸ ἑτοῖμος. Καὶ τοῦτο δὲ παρ' Ἀττικοῖς τοῖς νεωτέροις φασὶ προπαροξύνεσθαι.* Ibid. p. 33, 1: *ἔρημος. οὐδὲν εἰς μ̄ο̄ς̄ λῆγον ὑπὲρ δύο συλλαβὰς προπαροξυνόμενον τῷ η̄ παραλήγεται ἀλλὰ μόνον ἔρημος »Ὡς ἴδε χῶρον ἔρημον«. Ἀττικοὶ μέντοι προπαροξύνουσι τὴν λέξιν.* Manifestum est sic non scriptum esse ab Herodiano et vix dubium est, ubi sit mendi locus. Ex ultimis enim verbis plane apparet Herodianum pro *προπαροξυνόμενον* et *ἔρημον* scripsisse *προπερισπώμενον* et *ἐρῆμον* et sub voce *Ἀττικοί* subintellexisse recentiores Atticos. Item quod ap. Arcadium p. 61, 22: *τὸ δὲ ἕτοιμος Ἀττικόν, τὸ δὲ ἑτοῖμος κοινόν* legitur, nemo non intelleget, perversas esse accentuum sedes. Itemque cum ap. Schweigh. Lex. Arcad. p. 61, 6 legimus: *ἔρημος ἀττικῶς, ἐρῆμος δὲ παρὰ τῷ ποιητῇ* fortasse intellegendum est *ἔρημος κοινῶς,* vel *Ἀττικοὶ οἱ νεώτεροι.* Fere idem valet ad *ὅμοιος* et *ὁμοῖος*, quorum alteram scripturam per circumflexum veteribus Atticis, alteram recentioribus usitatam fuisse tradit Etym. Mag. p. 244, 42. Denique de accentu properispomeno etiam conferendus est Eustath. Il. p. 206, 13; 531, 35; 569, 18; 799, 40; Od. p. 1817, 15. Iam in Thucydidis libris mss. optimis utrum praevaleat *ὁμοῖος*, an *ὅμοιος*, incertus sum; certe Vatic. I 25, 4 *ὁμοῖα* et sic semper I 77, 4 al., sed Laurentianus *ὅμοια.* Cisalpinus praestantissimus ubique sibi videtur constare illa nomina properispomena exhibens. Sic nunc ubivis

* Cfr. L. Dindorf. in praef. ad Cyrop. p. VIII.

** Cfr. Goettling, Accentlehre p. 302.

legitur in editionibus ὁμοῖος I 25, 4; I 34, 1; I 77, 4; I 82, 3; I 86, 3; I 91, 4; I 140, 2; II 45, 1; II 54, 3; II 72, 1; II 89, 8; III 66, 1; VI 18, 4 atque aliis in locis. Ἐρῆμος legitur I 32, 3; I 50, 2; II 17, 1; II 51, 3; III 67, 2; V 75, 3; VI 78, 1. Sic etiam ἑτοῖμος est I 20, 4; I 28, 3; I 70, 3; I 145; II 3, 3; II 10, 1; II 56, 1; III 82, 8; IV 28, 2; VIII 9, 1; VIII 92. Nec non τροπαῖον nunc ubique in libris legitur I 30, 1; I 54, 1; I 63, 3; I 105, 4; II 92, 3; III 91, 3; IV 44, 3; IV 56, 2; IV 67, 6; V 3, 3; VIII 25, 4; VIII 42, 4. Cfr. Phavorin.: *τροπαῖον οἱ παλαιοὶ Ἀττικοὶ προπερισπῶσιν, οἱ δὲ νεώτεροι προπαροξύνουσιν.*

In libris Xenophonteis mss. tertiae syllabae a fine accentus apponitur fere ubique. Sic ὅμοιος suppeditatur ab optimis libris Cyrop. I 2, 11; II 2, 19; III 3, 41; VI 1, 37; VI 1, 50; VI 2, 7 al.; Anab. III 5, 13; IV 1, 17 alias; Hell. III 2, 27; IV 2, 11 alioquin; Mem. III 1, 8; III 4, 3; IV 2, 28; Symp. II 19; VIII 34; Hipparch. V 6; VIII 9; Ven. I 11; V 29. — Ἔρημος est in Cyrop. III 2, 1 et 2; IV 1, 9; IV 5, 20; IV 6, 6; VII 1, 17; VII 3, 12; Anab. II 1, 6; III 4, 40; VII 1, 24; VII 3, 47; Hell. II 4, 22; VII 2, 7; VII 2, 9; VII 5, 10; VII 5, 23; Mem. IV 4, 24; IV 7, 10; Resp. Lac. II 11; V 3; Hipparch. V 13; VIII 4; Ages. II 19; Ven. V 24; Vect. II 6; Oec. II 5. — Ἕτοιμος legitur Cyrop. II 1, 10; IV 1, 1; IV 2, 37; VII 5, 34; Anab. IV 6, 17; VI 1, 2 alibi; Mem. IV 5, 12. Τρόπαιον habes Cyrop. II 4, 14; Anab. IV 6, 27; VI 3, 32; VII 6, 36 saepissime alias; Hell. I 2, 3; I 2, 10; I 5, 23 multis praeterquam locis; Ages. II 15; II 20; VI 2 alias saepissime.

Deinde tam in optimis codd. Thucydideis, Vaticano — I 71, 1; I 91, 4; II 37, 1 al. — Laurentiano — I 43, 2; I 91, 4; II 44, 3 — quam in deterioribus quibusdam ἶσος legitur, qua forma epicos uti constat. Prosae orationi Etym. Mag. p. 477 c. nomen correpta syllaba prima tribuit. Sed cum reliqui libri et aliis locis ipse Laurentianus cum Vaticano ad ἴσος propendeant, falsa illa per correptum iota exempla et relinquenda videntur esse. Eadem forma Xenophonti quoque usitata est in Cyrop. III 3, 17 *νῦν δὲ ἴσοι ἔσονται*; ibid. V 2, 1 *ἴσοι ὄντες*; ibid. I 3, 18; I 6, 28; II 3, 5; VII 2, 28; Anab. II 5, 7; IV 6, 8; Vect. IV 30.

Restat, ut pauca addamus de hiatu, quem neque veteres pedestris orationis scriptores Attici fugiunt, neque Xenophon vitat. Quin etiam operam navant antiquiores scriptores, Thucydides et Antiphon, ut vocabulum in vocalem exiens voculam a vocali incipientem sequi iubeant, quo gravitas orationis augeatur. Eiusmodi exempla in libri primi capitis primi initio complura habes: *καὶ Ἀθηναίων — καὶ ἐλπίσας — τε ἔσεσθαι — καὶ ἀξιολογώτατον — ὅτι ἀκμάζοντες — τε ἦσαν — ἄλλο Ἑλληνικόν.* Praecipue autem monendum est, saepissime in libris ante vocalem deesse ν̄ ἐφελκυστικόν, quod in recentioribus editionibus plerumque legitur. Nec vitare hiatum videtur Thucydides, ubi composita efficit ex praepositione πρό, saepissime dicens προέγραψα talia. Etiam post praepositiones μετά, κατά, παρά, διά, ἀντί, περί, ἀπό, ὑπό et post coniunctionem ἀλλά orationem continuat voculis a vocali incipientibus elisione non admissa. Tum in libris optimis vel ante vocalem ubique μέχρι et ἄχρι neque μέχρις et ἄχρις scribitur, qui Thucydidis usus confirmatur testimonio Thom. Mag. p. 135: *ἄρχι καὶ μέχρι Θουκυδίδης ἀεὶ λέγει οὐ μόνον ἐπαγομένου συμφώνου ἀλλὰ καὶ φωνήεντος.* Idemque dicit Phrynich. p. 6: *μέχρις καὶ ἄχρις σὺν τῷ σ̄, ἀδόκιμα, μέχρι δὲ καὶ ἄχρι.* Etiam pro οὕτως ante vocalem libri

plerumque exhibent οὕτω. Neque contrarium fugiunt veteres, ut vocabula iuxta ponant, quae crebris asperarum consonantium concursionibus facile concipi non possunt ore humano. Quae soni asperitas elocutionis gravitatem auget. Hanc Thucydidis consuetudinem Dion. Hal. exemplis ex initio libri primi petitis probat: *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων*, ubi *ν — ξ*, *ν — π*, *ν — τ*, *ν — π*, *ν — κ* concurrunt et hiatus extat *καὶ Ἀθηναίων*. Quam in dicendo asperitatem cautissime declinant oratores, qui omni studio ad elocutionis pulchritudinem et elegantiam nitebantur. Isocratem quidem plane hiatum fugisse constat ex Cic. orat. 44: nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. Pergit deinde: in quo quidam Theopompum etiam reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit, etsi idem magister eius Isocrates: at non Thucydides, ne ille quidem haud paullo maior scriptor Plato.

Hiatum admittere Xenophontem ex omnibus eius libris cognosces; Anab. I 1, 1: *ἐπεὶ δὲ ἠσθένει καὶ ὑπώπτευε τελευτὴν τοῦ βίου ἐβούλετό οἱ τὼ παῖδε ἀμφοτέρω παρεῖναι.* Hic quinquies hiatus recipitur, bis initio Oec. *Ἤκουσα δέ ποτε αὐτοῦ καὶ περὶ οἰκονομίας τοιάδε διαλεγομένου.* Cfr. Hell. I 1, 2 *οἱ δὲ ἀνηγάγοντο ἐπ' αὐτόν.* Neque *μέχρι* ante vocalem Xenophonti demendum est neque *οὕτω*, quamquam leni medela *μέχρις* et *οὕτως* corrigi potest.* Saepe etiam in eius libris male deest *ν ἐφελκυστικόν* ante vocalem, quod est in vulgatis editionibus, et temere additur ante consonantem.** Hoc tamen interest inter veteres atque Xenophontem cum recentioribus, quod veteres consilio sermonis asperitatem neglecta elidendi vel alius remedii occasione affectant, recentiores hiatum neque fugiunt neque iudicio efficiunt.

Hac relatione primam partem commentationis concludi, cum alteram atque tertiam alio tempore tractare in animo habeam. Nonnulla quidem earum rerum, de quibus disserui, leviora esse videantur neque digna, quae attingantur, sed ut rem integram perficerem, illa mihi non praetereunda esse existimavi. Acquiescam, si forte paululum ad illustrandam dialectum Xenophonteam contulero.

---

* Voemel, De *ν* et *ς* adductis literis.

** Bornemann, Conv. p. 234.